



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Christophorus Signius Archiepiscopus Thessalonicensis Assistens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**



**Christophorus Signius Archiepiscopus Theffalonicensis Assistens :**

**I**N Beati Antistitis Thomæ à Villanoua pectore sedem perpetuam virtutes omnes posuisse, ex eius gestis diligentissimè ad examen reuocatis, manifestè comperimus, Beatissime Pater. Sed Humilitas, & Misericordia super omnes virtutes, vt vidimus, Principatum tenuere. Nec doctrinæ præstantia, nec hominum laudes, nec Summorum Principum æstimatio Thomæ humillimum cor exaltare vnquam potuere. Episcopatum semper fugit, semel recusauit, tandem recepit: quia superiorum imperio cogi potuit. Sed Humilitas dum contra hostes, generosè pugnat, in honoribus creuit: Misericordia verò cum eo de utero Matris egressa, puerum panem suum esurientibus frangere; adolescentem egenos; & vāgos in domum suam inducere; Episcopum reditus omnes dispergere & largiri pauperibus liberalitate profusissima docuit. Cum ergo hæc virtutes alæ duæ fortissimæ sint, quibus Iusti à Terra eleuantur ad Cælum, dubitare non possumus, Regnum à Deo paratum humilibus, & misericordibus, Thomam possidere. Itaque quod illi Sanctorum cultū Sanctitas Vestra decernere deliberauit, non modo iustum, & laudabile consiliū puto, sed vt quamprimum, quod cogitauit, perficiat, humiliter obsecro.

**Nerius Corfinus Archiepiscopus Damiaten. Assistens.**

**V**enerabilis Dei seruus Thomas à Villanoua, vitæ integer, morum innocens, virtutum omnium splendore conspicuus, ea præsertim in proximo enituit charitate, vt Elecmofynarius meritò diceretur: tota enim substantia in Christi pauperes distributa, lectulum etiam, in quo decubuit, elargitus est, vt cum nihil haberet in Mundo, quod diligeret, nihil esset in Mundo, quod pertimesceret, ac nudus nudum Christum in æterna Tabernacula sequeretur. Huiusdem Charitatis clypeo permunitus, bonum certamen certauit; ideoquè in Beata illa Hierusalem